

eadem loquendi ratio designat *particularem* Romanam Ecclesiam, Matrem et Magistram omnium Ecclesiarum, ideoque ambigua videtur. — 4. Demum, quia non est vox usitata nec in Symbolis nec in Conciliis generalibus, per quantum sciam.¹

His rationibus cessit deputatio atque eam emendationem, qua unus ex Patribus in Congregatione generali proposuerat verba „Sancta catholica Apostolica Romana Ecclesia“, commendare constituit². Brixinensis, quum in Congregatione generali quadragesima sexta de conditionibus a Patribus adiectis nomine deputationis referret: „Unus alterve Patrum deputationis de fide credit“, inquit, „. . . hanc rem (quaestionem de initio capitis) iam esse iudicatam, ita ut ab illa non amplius sit recedendum; sed reapse hac de re non est iudicatum. Quod virgula non debeat interponi inter verba ‚Romana catholica‘, haec res est iudicata; sed quaenam denominatio sit adhibenda ad unicam et veram Ecclesiam Christi in terris indicandam, hac de re non est disputatum nec etiam iudicatum; proinde longe maior pars, imo in fine tota deputatio de fide credit, huius difficultatis rationem habendam esse.“³ Verba a deputatione electa commendavit atque omnium fere Patrum tulit suffragia⁴.

COMMENTATIO II.

De possibilitate certae naturalis cognitionis Dei a Concilio definita.

In capite altero Constitutionis dogmaticae de fide docetur, „Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse“, et canone respondente proscribitur

adv. anglic. sect. errores l. III. c. 8. n. 4. de Summi Pontificis supra temporales reges excellentia et potestate: „Ex illa sententia sequitur aperte, plures ecclesias, quae sunt in mundo, non magis constituere universalem Ecclesiam, quae sit proprie una, quam plura temporalia regna sunt una respublica temporalis, vel unum imperium aut regnum.“ At vero, uti superiori capite declaratum est, et a Fr. Suares exponitur ibidem l. I. c. 7, accepit Ecclesia a Christo Domino constituentem formam definitam ac determinatam eamque visibilem ac conspicuam, qua esset una tantum; hinc ait idem Suares ibidem c. 8. n. 3: Cum „in symbolo Apostolorum profite-mur, nos credere sanctam Ecclesiam catholicam . . .“, hoc intelligendum est de certa et singulari Ecclesia. Cum enim vera Ecclesia catholica tantum sit una, individua et particularis . . . ex vi illius fidei tenemur credere, illam esse veram Ecclesiam, in qua sumus, et cuius fidem profite-mur, et consequenter tenemur credere, conventicula haereticorum non esse veram Ecclesiam, sed synagogam satanae (Apoc. 2) vel, ut Rufinus ait, Ecclesiam malignantium; ergo ut per illam fidem possimus discernere veram Ecclesiam a falsa, necesse est, ut sit de tali congregatione in particulari.“ (Schema de Ecclesia. C. V. 587 a sqq.)¹ C. V. 222 b. c. ² Ex actis etc. C. V. 1676 a.

¹ Relatio etc. C. V. 235 a. b. ⁴ Ibid. C. V. 246 a.

error, „Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse“. In his duo ex documentis Concilii accuratius explicanda sunt: qua ratione homini naturalis attribuatur facultas Deum cognoscendi, et quid homo de Deo naturaliter cognoscere posse dicatur.

I. Homo dicitur naturali rationis lumine Deum e rebus creatis certo cognoscere posse.

Voluit unus ex Patribus, in capite et canone ad rationis vocem addi „uti nunc est“, ut homo explicite in statu naturae lapsae Deum naturaliter cognoscere posse diceretur¹. Respondit in relatione nomine deputationis habita Rñus Gasser, Episc. Brixinensis, illa verba, quae antea iam adfuissent, deleta esse, „cum ea, quae in ista doctrina docentur, generatim vera habenda sint, sive sumatur homo in statu naturae purae sive in statu naturae lapsae“². „Agitur in genere de conditione naturae humanae.“³

Quis sit sensus definitionis, praeclare illustratur illis, quae respondententi schematis de doctrina catholica loco adnotant theologi. „Tria“, inquit, „hic notanda sunt. 1. Supponitur sane usus rationis. 2. Non est quaestio de *facto*, utrum singuli homines primam suam cognitionem Dei hauriant ex illa naturali manifestatione, et non potius per revelationem iis propositam excitentur ad quaerendum Deum, et Deum existere discant ex ipsa sibi proposita doctrina revelata; sed id, de quo agitur, et quod Scripturae immediate affirmant, est *potentia* rationis; quod nimirum obiectiva Dei per creaturas manifestatio ordinatur ad humanam rationem et huic insunt vires, ut possit ex illa manifestatione Deum cognoscere. Ex quo utique consequitur naturalis obligatio pro homine per hanc manifestationem, si alia praesidia desint, perveniendi ad cognitionem Dei, quod quidem a S. Paulo et in libro Sapientiae II. cc. [Rom. 1, 21. Sap. 13, 1 sqq.] docetur diserte. 3. Non tractatur hic quaestio generatim de conditionibus necessariis, ut homo perveniat ad usum rationis.“⁴

Itaque docetur a Concilio, Deum ratione humana *recte evoluta*, etiam *in statu naturae lapsae* e rebus creatis cognosci posse, atque id quidem *cum certitudine*. Quibus subsidiis ratio indigeat, ut recte evolvatur, non dicitur. Negatur tamen, ei opus esse revelationem seu aliud aliquod adiumentum supernaturale. Cuius doctrinae definitio, ut aiunt⁵ Patres deputati in folio schemati adiecto, necessaria visa est „non solum propter traditionalismum, sed etiam propter errorem late serpentem, Dei existentiam nullis firmis argumentis probari nec proinde ratione certo cognosci. — Quod vero ad traditionalismum per-

¹ Emendationes etc. Em. 5. C. V. 21 a. Em. 51. C. V. 125 d.

² Relatio etc. C. V. 131 d. ³ Ibid. C. V. 150 a.

⁴ Annotationes etc. C. V. 520 c. d. ⁵ Ratio etc. C. V. 79 c. d.

tinēt, satis visum est, principium ponere, quo efficaciter excluderetur. Principium autem, quod statuitur, hoc est: in hominis natura rationali potentiam esse Deum per res creatas certo cognoscendi. Iam vero qui diceret, fieri prorsus non posse, ut homo, etsi expeditam habeat facultatem ratiocinandi, sine positiva de Deo tradita doctrina, ad Dei certam notitiam perveniat, is illud principium negaret. Quaestio autem, utrum aliqua institutio necessaria sit ad hoc, ut homo ad rationis usum perveniat, non attingitur.

Iam his suppositis accuratius inquirendum est, quae species traditionalismi, utrum solus crudior reiiciatur, an etiam is, qui dicitur mitior.

Illum in relatione nomine deputationis habita exponit¹ Brixianensis ita: „Ut a principio primo ordiar, verba illa notissima Tertulliani in medium proferam, quae habentur in libro ipsius contra Marcionem, ubi dicit: ‚Nos (scilicet contra Marcionem) definimus Deum primo natura cognoscendum, dehinc doctrina recognoscendum, natura ex operibus, doctrina ex praedicationibus.‘ Iuxta hanc Tertulliani sententiam res ergo ita se habet: Deus potest quidem cognosci natura duce ex operibus; sed ut haec cognitio Dei sit salutaris, Deus non solummodo debet naturaliter cognosci, sed debet per doctrinam et praedicationem recognosci. Primum quidem est iuxta Tertullianum cognitio naturalis non quidem ratione temporis, sed ratione ordinis, et deinde cognitio supernaturalis; nam dicit: primo cognoscendus natura, et dehinc recognoscendus doctrina et praedicatione. In hac re Tertullianus certe sacram Scripturam ipsam consentientem habet, ut unicuique patet inspicienti caput 13. libri Sapientiae, caput 1. Epist. ad Romanos, caput 14. et 17. ex Actis Apostolorum; et quantum ego video, Tertullianus in hac re etiam Patres Ecclesiae consentientes habet.

„Iam ii, qui nominantur generatim traditionalistae (nomen hoc nunquam protulisse, Rm̄i Patres, nisi iam in ipsa hac aula toties nomen istud insonuerit), iam, dico, asseclae huius systematis sententiam Tertulliani invertunt et dicunt: Nos definimus Deum primum doctrina cognoscendum, et dehinc natura recognoscendum, doctrina ex praedicationibus, natura ex operibus; id est, primam de Deo ideam debere homini communicari per doctrinam sive praedicationem in genere sumptam, et deinde, hac idea semel homini communicata et ab homine recepta, possibile omnino esse, existentiam Dei probare etiam per argumenta ex ratione desumpta. Quoad vero communicationem ipsam huius ideae traditionalistae inter se plurimum differunt. Sunt enim aliqui, qui dicunt, hanc communicationem revera debere fieri per doctrinam evangelicam seu revelatam, et proinde hominem debere in se suscipere ideam Dei et existentiae ipsius fide divina, et non esse

¹ Relatio etc. C. V. 129 a sqq.

certitudinem de existentia Dei, nisi primum habeatur illa fide divina. Traditionalistae huius generis nominantur proprio nomine fideistae, seu systema illorum dicitur etiam traditionalismus crudior. . . .

„Haec doctrina traditionalismi crudioris certe omnino est damanda, sicut iam damnata est: nam per talem doctrinam evellitur ipsum fundamentum fidei nostrae, certitudo de existentia Dei; et pro nostris imprimis temporibus res ista summi momenti est.

„Nostis enim, Rm̄i Patres, quaenam opinio invaluerit in animis multorum hominum inde a sic dictis encyclopaedistis Galliae, et inde ab initio philosophiae criticae in Germania: opinio scilicet in multorum animis invaluit, existentiam Dei omnino certo non posse probari certis argumentis, et argumenta illa, quae tanto in honore omni tempore habita sunt, non esse talia, quae rem evincere possint. Inde utique factum est, quod religio ipsa utpote fundamento carens despectui haberetur; imo res nostris temporibus novissime eo devenit, ut passim homines in eo sint, avellendi doctrinam moralem ab omni doctrina religionis, dicendo, hoc omnino necessarium esse, ne homo, cum postmodum, aetate proficiente, videat in religione nihil certi haberi posse, neque ipsam existentiam Dei, ne homo, dico, in pravitatem morum collabatur. Sed nostis, Rm̄i Patres, quantum valeat huiusmodi institutio moralis, cuius principium non est illud Psalmistae¹: *Initium sapientiae timor Domini.*“

Itaque haec crudior traditionalismi species conciliari definitione et canone reprobatur, id quod etiam lecta sola definitione intelligitur. Neque enim solum naturale rationis lumen homini sufficere dicitur, ut Deum certo cognoscat, sed huic naturali Deum cognoscendi viae opponitur etiam tanquam supernaturalis via revelatio. Haec igitur diserte homini ad Deum certo cognoscendum non necessaria esse dicitur.

His patet etiam, reiici sententiam, ad rationem recte evolvendam, ut Deum certo cognoscere possit, requiri institutionem, quae revelationem supponat. De conditionibus quidem, quae alicui necessariae videri possint, ut ratio recte evolvatur, nihil habet Concilii decretum. „Attamen“, ut aiunt theologi in adnotationibus schemati de doctrina catholica adiectis, „qui affirmaret, sufficientem usum rationis, ut homo valeat Deum per creaturas cognoscere, nunquam posse obtineri nisi per immediatam vel traditam revelationem de Deo, h. e., qui affirmaret, necessariam conditionem ad usum rationis sufficienter evolvendum non qualemcunque esse traditionem et institutionem, sed nominatim traditam revelationem de existentia Dei: is profecto etiam affirmaret, rationem humanam esse ita comparatam, ut non possit pervenire ad cognitionem Dei per ea, quae facta sunt, quamvis eandem cogni-

¹ Ps. 110, 9.

tionem, quando iam ex revelatione facta ad eam perventum est, possit deinde ratio confirmare et Deum recognoscere etiam per ea, quae facta sunt.¹

Inde facile intelligemus, qua ratione etiam mitior traditionalismi species conciliari decreto tangatur. Qui eam profitentur, communicatione ideae Dei opus esse dicunt, ut homo Deum certo cognoscere possit, sed communicationem hanc, ut exponit Brixinensis², non „derivant ex ipsa doctrina evangelica seu revelata, saltem non proxime, sed generatim ex idea Dei in societate humana iam existente; et proinde sufficere, quod homo fide humana ideam Dei in se suscipiat, et dein efformet argumenta ex ratione pro existentia Dei“. Sed quamvis „hi mitiores traditionalistae, sicut nominantur, proxime quidem derivent ideam Dei solummodo ex communicatione per societatem humanam, tamen vix non fieri potest, quod illam ultimo in primo suo fonte derivent ex institutione Dei primaeva communicata generi humano“.

Itaque „etiam traditionalismus mitior certe periculis obsitus est“. Propterea „proposita est emendatio octava, qua ista doctrina immediate in suo principio formali impetitur. Contra alii Rm̄i Patres non

¹ Schema etc. C. V. 522d. — Ibi additur: „... Haec species traditionalismi nostris temporibus a quibusdam asserta est, idque saltem quandoque ita, ut primam Dei et rerum supersensibilium notitiam non nisi *ex fide supernaturali* derivari posse docerent. In expositione et defensione sui systematis Bautainius (ep. ad Episc. Argentorat. 21. Nov. 1837) aiebat: „Quid assertio, hominem etiam solis argumentis rationis posse demonstrare existentiam Dei eiusque infinitas perfectiones, aliud sibi vult, nisi hominem posse ex propriis viribus ad Deum ascendere et posse Deum sine Deo cognoscere? Nonne hoc ipso contra definitiones Concilii Arausici humanae rationi *initium fidei* adscriberetur? Quid hoc aliud esset quam asserere, hominem *ad fidem in Deum* non indigere gratia, nosque ipsos auctores esse *nostrae fidei*?“ — Porro huiusmodi doctrina claris sententiis Scripturae et SS. Patrum atque communi veterum theologorum consensui repugnat; consequenter exulta ipsa fidei fundamenta subverteret, credere enim non possemus, nisi rationales animas haberemus (Aug. ep. 120. n. 3); atque ita ad scepticismum viam sterneret; perveniretur enim ad id, quod aiebat Lamennaeus: „Quand la vérité se donne, l'homme la reçoit; voilà tout ce qu'il peut; encore faut-il qu'il la reçoive de confiance, et sans exiger qu'elle montre ses titres; car il n'est pas même en état de les vérifier“ (Pensées diverses p. 488). Praeterea in hac doctrina evidenter censeretur deberet positiva revelatio de Deo essentielle complementum humanae rationis; atque inde pervenerunt aliqui ad confusionem ordinis naturalis ac supernaturalis. Propterea saltem crudior haec forma traditionalismi iam saepius authentice reprobata est, ut in propositionibus a Bautainio aliisque subscriptis, quarum una erat: „Rationis usus fidem praecedat, et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit“.

² Relatio etc. C. V. 129d sqq.

tam maligno oculo istam doctrinam considerantes, emendationes proposuerunt, sc. tertiam et quartam, quae tueri videntur causam traditionalismi mitioris¹.

Iam nomine deputationis Brixinensis suadet, ut tribus illis emendationibus sepositis textus schematis retineatur, quo deputatio doctrinam suam tanquam *certum principium* proponat, „quod *directe impugnat traditionalismum crudiores, quod sane, cum aliter fieri non possit, etiam tangit traditionalismum mitiores*“².

Patet igitur, qua ratione decreto conciliari traditionalismus mitior tangatur. Cum haec doctrina eo contineatur, ut homo dicatur non posse naturali rationis lumine ad certam Dei cognitionem pervenire, nisi iuvetur idea Dei in societate humana existente et fide saltem humana recepta, eo usque conciliari decreto non petitur, quousque non contendit nec supponit, ideam illam societati humanae revelatione supernaturali traditam, sed docet, illam ab ea naturali quadam via acceptam esse. Si vero eius asseclae docent, ideam illam revelatione comparatam esse nec aliter comparari potuisse, principio a Concilio statuto contradicunt: principio, quo homo solo naturali rationis lumine ac sine revelationis adiumento ad certam Dei cognitionem pervenire posse dicitur³.

¹ In emendatione octavo loco proposita (C. V. 121a) petebatur, ut adderetur post „e rebus creatis“: „citra quamlibet de Deo traditam doctrinam“. Quod si receptum esset, ipse traditionalismus mitior directe esset exclusus. — *Tertia* emendatio haec erat: „Eadem S. Mater Ecclesia Catholica tenet ac docet, Deum rerum omnium principium et finem naturali rationis lumine *ab homine in societate adulto e rebus creatis* cognosci posse etc.“ — *Quarta* proponebatur haec formula: „... docet, hominem *rationis exercitio fruente* posse Deum ... naturali *ipsius* rationis lumine ... cognoscere.“ (C. V. 120d.) Ipsi his verbis, nisi accedat aliunde proponentis explicatio, non patet, emendatorem favisse traditionalismo moderato. Hominem, qui rationis exercitio non fruatur, Deum certo cognoscere posse, profecto non definitur a Concilio. Eatenus tamen emendatio signum favoris traditionalismi mitioris continere videri potest, quatenus, quod explicite addi vult, necessario a semitraditionalistis vi systematis premendum est.

² Relatio etc. C. V. 130d sq.

³ Cf. Ratio etc. C. V. 79c. d. Cf. supra p. 33. — Quaeri posset, num semitraditionalistae vi suae doctrinae ad supernaturalem Dei revelationem confugere cogantur, ut possibilitatem certae Dei cognitionis admittant. Id mihi non videtur. Singulas generationes dicunt propterea Deum existere certo cognoscere, quia ab antecedentibus generationibus educatae traditione humana ideam Dei acceperunt. Itaque quaeritur, quomodo primi homines eam acceperint. Hi cum corporibus plene evolutis a Deo creati, quod posterius, dum adolescent, educatione accipiunt, a Deo, cum crearentur, accipere debebant. Scientia igitur iis infundenda erat. Haec autem scientiae infusio non erat supernaturalis revelatio, sed primis hominibus propter naturalem eorum exigentiam debita nec magis supernaturalis quam ipsa creatio,

Atque haec de traditionalismo. Videndum iam est, num *ontologismus* eo Constitutionis capite, quod explicamus, condemnatur. Ipsi definitionis verbis constat, eum saltem directe non condemnari. Iuvat tamen hoc loco notare, quid de illo systemate actum sit.

Voluit unus e Patribus deputationis de fide, in capite dici, Deum rationis naturali lumine, „non tamen directa visione“, e rebus creatis certo cognosci posse¹. Id receptum non est. In Congregatione generali proposita est haec formula: Ecclesia docet, Deum, „licet lucem inhabitet inaccessibilem, eumque nullus hominum unquam viderit, sed nec videre possit, non solum facie ad faciem, quod solis in coelo beatis concessum est, sed nec simplici mentis nostrae intuitu, dum peregrinamur in corpore, naturaliter videri et contemplari liceat: tamen per speculum et in aenigmate, naturali sc. lumine rationis per res creatas veluti per gradus ad illum ascendendo, eius existentiam praecipuasque illius perfectiones certo cognosci posse etc.“² Quum emendationes in Congregatione generali propositae a deputatis Patribus examinarentur, unus eorum desideravit, ut doctrina ontologismo opposita, saltem indirecte, commemoraretur³. Id reiectum est, et Brixinensis, quum in Congregatione de emendationibus Patrum nomine deputationis relationem haberet, et ad illam, quam attulimus, emendationem pervenisset, „Haec emendatio“, inquit, „non potest admitti ex opinione deputationis fidei, et quidem iam ex ea formali ratione, quia gravissimum hoc systema ontologismi non potest quasi accidentaliter et incidenter tractari; sed pro gravitate materiae debet Concilio proponi et debet deinde conciliariter tractari. Inde deputatio fidei exoptat, quod haec emendatio hic loci non approbetur; sed simul etiam dicit, quod exinde nullum praeiudicium debeat enasci quoad ipsum systema ontologismi, sed quod res maneat in pristino suo statu.“⁴ Fere idem respon-

cuius erat quoddam quasi complementum. Itaque puto, semirationalistas suum systema ita evolvere posse, ut a Vaticano Concilio condemnati esse dici nequeant.

¹ Ex actis etc. C. V. 1652 c. ² Emendationes etc. C. V. 120 c. d.

³ Ex actis etc. C. V. 1672 a. b.

⁴ Relatio etc. C. V. 128 d. — Post Sessionem, in qua habita est haec relatio, duo Patres, Xystus Cardinalis Riario Sforza, Archiep. Neapolit., et Ioachim Cardinalis Pecci, Episcopus Perusinus (postea Leo Papa XIII.), postulatum Concilio tradiderunt, quo, ut certa quaedam ontologismi species condemnaretur, petebant. Eius exordium hoc est: „In ea Sessione, in qua sermo habitus est de *ontologismo*, Excellentissimus et Reverendissimus Gasser, Episcopus Brixinensis, nomine Congregationis rebus fidei praepositae affirmabat, quaestionem illam non esse eo loco leviter et perfunctorie attingendam, sed alibi opportunius de ea agendum, ut tota res melius et plenius definiretur.

„Huic declarationi inhaerentes infrascripti Cardinales Episcopi, ne controversia nimis late pateat, damnandam proponunt illam dumtaxat onto-

debat, quum ageret de hoc, qui propositus erat, canone: „Si quis dixerit, Deum per immediatam visionem seu intuitum in hac vita naturalibus viribus percipi posse, aut in illo omnia directe videri et contemplari, a. s.“¹

Itaque Concilium ontologismum recipere noluit inter eas doctrinas, quas directe hoc decreto proscriberet. Nihilominus doctrinam definivit, cui ontologismus talis, qualis saltem in Belgio propositus est, immediate opponitur. Secundum hunc *sola* immediata Dei intuitionem ratio humana Deum certo cognoscere potest, seu eum ex rebus creatis cognoscere non potest, nisi supposita hac intuitionem². Concilium Vaticanum autem definivit, Deum *naturali* humanae rationis lumine certo cognosci posse. Dicunt quidem ontologistae, ipsam Dei intuitionem homini naturalem esse; sed id falsum esse, theologice facile probatur³.

Alia se offert hoc loco quaestio, quomodo ad decretum conciliare se habeat opinio, quae a doctis quibusdam viris in Germania proposita est, illa, qua ratio humana non quidem immediato Dei intuitu vel

logismi formam, quae aperte catholicae doctrinae opponitur et fundamentum est multorum errorum, qui nunc late pervagati sunt, et continetur in illa propositione: „Naturalis est homini cognitio Dei directa et immediata.“

„Ex alia parte non videtur expedire, ut Concilium Vaticanum penitus de ontologismo sileat. Ex hoc enim silentio ontologistae statim vires resumerent, suas controversias restaurarent, ipsa Romanae Congregationis responsa (18. Septembris 1861) infirmarent, et huic Sedi turbas et molestias crearent. Cum vero S. R. U. Inquisitionis Congregatio (18. Septembris 1861) allatam propositionem tuto tradi non posse decreverit, et multi Episcopi (praesertim Neapolitani in sua epistola collectiva ad clerum saecularem et regularem 28. Iunii 1862) ontologismum graviter reprehenderint, Christi fideles huius damnationis confirmationem expectare videntur: qui insuper mirarentur, ex totius orbis partibus Episcopos in Vaticanum Concilium coactos fuisse, ut pantheismum et rationalismum aliosque errores, quos per se ipsi cavere poterant, damnarent; errores vero illos, qui ad haec monstra viam sternunt, intactos reliquisse. Quapropter proponitur damnanda a Concilio Vaticano sequens propositio: „Naturalis est homini cognitio Dei immediata et directa.“ Sequuntur rationes. C. V. 849 b sqq.

¹ Emendationes etc. C. V. 127 a. Cf. Relatio etc. C. V. 153 a.

² Cf. G. C. Ubaghs, Theodiceae s. Theologiae naturalis elementa. Lovanii 1852. p. 66 sqq.

³ Post Concilium d. 14. Dec. 1887 complures propositiones ontologisticae ex scriptis quibusdam, quae post obitum Antonii Rosmini Serbati eius nomine edita sunt, decreto s. Inquisitionis damnatae sunt, quod decretum a Summo Pontifice Leone XIII. confirmatum est. Cf. Acta s. Sedis XX. p. 397 sqq. — D. 18. Sept. 1861 s. Inquisitio iam declaraverat, aliquas propositiones ontologisticas tuto tradi non posse. Cf. Denzinger, Enchiridion n. 1516 sqq.

revelatione, sed aliquo tamen adiumento indigeat, ut ex creaturarum consideratione ad certam Dei cognitionem pervenire possit, idea quadam, qua mens, antequam ex creaturis Deum cognoverit, eius quandam quasi iam adumbrationem videat rationis opera perficiendam, seu qua quodammodo verbi Dei vocales iam pronuntiet, quibus, quum Deum ex creaturarum consideratione cognoscat, addit consonantes. Negare solent hi viri docti, suppeditare argumenta, quibus ipsis vis plena insit Dei existentiae *demonstrandae*. Solam rationem, aiunt, per se spectatam, seu rationem, nisi adiumento illo augeatur, argumentis convinci non posse, Deum esse, adiutam vero ex creaturis Deum certo cognoscere.

Primo mihi respondendum videtur, non sibi proposuisse Patres, eam opinionem proscribere. Nec desunt signa, quibus id pateat. In schemate, quod Patribus deputatis primo proponebatur, primus canon hic erat: „Si quis negaverit, Deum . . . per ea, quae facta sunt, naturali ratione ab homine lapsa certo cognosci et *demonstrari* posse, a. s.“¹ Quamquam complures exhibebantur emendationes, in quibus vox demonstrandi vel probandi retinebatur², tamen canon mutabatur, et in schemate Congregationi generali exhibito vox demonstrandi omissa est³. Neque id casu accidit. Nam quum unus ex Patribus in discussione speciali capitis secundi proposuisset, ut diceretur „cognosci et *demonstrari*“⁴, Brixinensis respondit, emendationem eatenus plus continere quam textum, quatenus „non solummodo edicit, Deum naturali lumine certo *cognosci* posse, sed etiam hanc Dei existentiam *certo probari seu demonstrari* posse. Quamvis aliquatenus certo cognoscere et demonstrare sit unum idemque, tamen phrasim mitiorem deputatio de fide sibi eligendam censuit, et non istam duriolem“⁵. Quum certe non fuerit inter deputatos, qui nescio qua opinione imbutus, Dei existentiam *firmis argumentis probari* posse negaverit, alia ratio, cur mitiorem phrasim elegerit et Patribus commendavit, esse vix potest, nisi haec, quod ab opinione illa perstringenda abstinere voluerit.

¹ Schema etc. C. V. 1631 d.

² Ex actis etc. C. V. 1653 d sqq.

³ Schema etc. C. V. 76 b.

⁴ Emendationes etc. C. V. 121 a.

⁵ Relatio etc. C. V. 132 b. c. — Itaque recte animadvertit Paulus Schanz (Apologie des Christenthums I. p. 89), Concilium Vaticanum mitigasse verba, quae occurrant in propositionibus a Bautainio anno 1840 et a Bonnetto anno 1855 subscriptis, cum loco „probare“ ponat „cognosci posse“. Quod autem dicit, Concilium mitigasse verba etiam eo, quod loco „cum certitudine“ posuerit „certo“, id admitti nequit; „cum certitudine cognoscere“ et „certo cognoscere“ est plane idem, neque Patres illa distinguunt, neque illi, qui vocem „certo“ tolli, neque alii, qui eam retineri volunt (cf. Emend. etc. C. V. 224 d sq. 228 d. Relatio etc. C. V. 236 c sq.). — Propositio, quam subscribere iussus est Bonnettius, haec erat: „Ratiocinatio Dei existentiam . . . cum certitudine probare potest.“ Similem propositionem a se scriptam Bautainius Superioribus ecclesiasticis obtulit.

Alia tamen quaestio haec est, num sententia illa cum doctrina verbis decreti expressa satis conveniat; de qua quaestione pauca addemus.

Quodsi id, quo mens ab illis viris doctis in quaerendo Deo adiuvari dicitur, nihil aliud intelligitur nisi naturalis mentis in Deum inclinatio seu eius ad Deum facile inveniendum aptitudo, nihil in illa sententia est, quod cum decreti verbis non conveniat.

Porro si quis cognitionem humanam putet explicari non posse, nisi admissis ideis innatis, ne is quidem, licet falsum profiteatur, cum decreto configere dicendus est. Neque enim Concilium quidquam de origine idearum docet. Ita tamen, qui eas nobis indi docet, sententiam suam, ut eam cum decreto plane conciliet, explicare debet, ut non neget, a nobis *ex rebus creatis* Deum certo cognosci.

Quid vero, si quis dicat, in aliis quidem veritatibus indagandis, veluti in studio scientiae naturalis, mathesis, logicae, solam rationem per se sufficere, neque eam ad illas inveniendas indigere ideis inditis vel aliis adiumentis, Deum autem eam cognoscere non posse, nisi speciali divinitus concessio subsidio adiuvetur? Quid enim? Nonne Concilium Vaticanum, quum dicat, Deum lumine naturali rationis humanae e rebus creatis certo cognosci posse, lumen naturale rationis eam ipsam facultatem humanam intelligit, qua in mathesis, scientiae naturalis etc. veritates inquirimus? Secundum doctrinam autem, de qua agimus, haec ipsa facultas Deum cognoscere nequit, nisi superaddatur ei vis, quae ei ipsi per se non insit. Aliquo sane incommodo ea doctrina laborat. Quum tamen vis illa, licet non in caeteris veritatibus indagandis, sed in solo quaerendo Deo necessaria esse dicatur, inter naturalia auxilia referri debeat, illa doctrina cum decreto componi potest.

Id autem difficilius fuerit, si haec doctrina ita explicetur, ut auxilium illud non intelligatur *subjectivi* aliquid, sed aliquid *obiectivi*, quod per modum *obiecti* rationi proponatur. Nam qui id rationi necessarium esse docet, ut Deum certo cognoscere possit, is negat, rationem plene evolutam atque omnibus sibi propriis viribus auctam *e rebus creatis* Deum certo cognoscere posse. Ut Deum certo cognoscat, secundum illam opinionem adumbrationem Dei *aliunde* oblatam viderit necesse est; quae si deest — atque deesse potest — Deum cognoscere nequit; si adest, *e rebus creatis* non tam Deum certo cognoscit, quam adumbrationem Dei ei aliunde oblatam perficit.

A Concilio tamen directe petitur traditionalismus, ut supra exposuimus. Porro omnia condemnantur systemata, quibus ratione naturali certa Dei cognitio comparari posse negatur, id quod et ex ipsius decreti verbis et ex declaratione Patrum¹ liquet. Itaque condemnatur ea doctrina, quae in Anglia agnosticis nomen invenit, et vul-

¹ Cf. supra p. 35.